

facere possit conjux conscius impedimentum? dicitur infra a n. 22.

16. *Neque potest, aut debet iudex conjugibus facile credere, nisi sufficiens probatio adsit.* — Resp. III. Non debet, nec potest iudex matrimonium in facie Ecclesie contractum dissolvere quoad vinculum; ex hoc solo, quod unus vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniæ lateantur, se cum impedimento criminis v. g. vel affinitatis, aut consanguinitatis contraxisse, nisi sufficientes probationes accedant. Rursus communis ac certa, textu expresso c. *Super eo*, 5, de *Eo, qui cognovit*, ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: « Cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere, et ad confessionem incestus (aut alterius impedimenti) facile prosilirent si suo iudicio crederent, per iudicium Ecclesie concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo est iudicandus validus, quod, nisi rationabiles, et fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari. »

17. *Et quidem plena.* — Resp. IV. Ad hoc, ut iudex ecclesiasticus vinculum matrimonii dissolvat, debet eidem de impedimento dirimente constare per probationem plenam et perfectam; qualis est, quæ fit per duos testes omnium exceptione majores. Iterum communis ac certa, arg. c. 1, de *Consang. et affinitat.* et c. *Super eo*, 22, de *Testibus cum concordant.* Ratio est, quia causa dissolvendi matrimonium quoad vinculum est una ex gravioribus, et in præjudicium magnum tum tertii, tum sacramenti redundantibus, consequenter exigit plenam probationem, per ea, quæ diximus lib. II, tit. XIX, de *Probat.* ubi etiam habes, quænam sint, et dicantur probationes plenæ.

18. *Per testes juratos omni exceptione majores.* — Quod, si probatio fiat per testes, debet fieri per testes saltem duos omni exceptione majores, arg. cit. c. 1, de *Consang. et affinitat.* ibi: « Per testes omni exceptione majores. » Ratio est, quia unus testis quantumvis habilis non facit plenam probationem, arg. c. *Licet universis. de Testib.* qui etiam debent esse jurati, arg. can. *Illud*, 6, et can. de *Parentela*, 8, caus. 35, q. 6, quia testis non juratus nihil probat, per vulgaria.

Porro quinam sint testes habiles contra matrimonium jam contractum, constat tum generaliter ex lib. II, tit. XX, de *Testib.* Tum specialiter ex tit. præced. ubi etiam

habes, quisnam sit iudex in causa matrimoniali.

19. *Si notorie constet de nullitate matrimonii, debet iudex etiam nemine accusante illud dissolvere.* — Resp. V. Etsi nemo matrimonium accuset, potest nihilominus, et debet illud iudex ecclesiasticus etiam quoad vinculum dissolvere, quando de ejus nullitate, seu impedimento firmiter notorie et certe constat. Abbas, in c. *Porro*, 3, h. t. n. 4, et ibi doctores communiter: textus est in cit. c. 3, h. t. ubi Papa ita respondet episcopo Ambianensi, « quod non apparentibus accusatoribus, et parentela manifesta et publica existente (idem dic de alio impedimento) tui officii interest, matrimonia illa, adhibita gravitate dissolvere. »

20. *Vel de nullitate inquirere, quando non notorie de ea constat, sed fama est.* — Imo etsi notorie de impedimento non constet, existat tamen fama de illo, potest iudex ecclesiasticus ex officio inquirere, et quemcunque compellere, ut testimonium de illo deponat. Abbas, loc. cit. n. 4, et ibidem Glossa communiter recepta *¶. Seu publica*, arg. c. 1, de *Offic. ordinar.* juncto can. *Episcopus, in Synodo*, 7, caus. 35, q. 6.

21. *In dubio, an matrimonium valeat, necne, iudex pronuntiare debet pro matrimonio.* — Resp. VI. Quandocunque sive præcedente accusatione, sive facta inquisitione, sive ex alio capite, de matrimonio jam contracto apud iudicem fit quæstio aut controversia, debet iudex in foro externo pro valore matrimonii pronuntiare, si causa rite examinata, non habetur plena probatio, sed dubium manet, an revera subsit aliquod impedimentum, consequenter an matrimonium valeat, necne. Rursus communis, arg. c. *Super eo*, 22, de *Testib. et attestat.* cum concordantiis, et sequitur necessario ex conclusione n. 17, data, ubi dictum est, ad dissolvendum vinculum matrimonii requiri plenam probationem; per jura et rationes ibidem allegatas. Quibus accedit; quia matrimonium jam contractum est res favorabilis, c. *Directe*, 3, *Qui Matrim. accusare possint.* Hinc licet ad impediendum matrimonium sufficiat unus testis, fama, aut dubium de impedimento, juxta unanimem, non tamen sufficit pro vinculo dissolvendo, ut bene advertit Glossa communiter recepta in cit. c. *Super eo. de Testib. et attestat. ¶. Firmatum.*

22. *Certo sciens conjux matrimonium esse*

*nullum, ob latens impedimentum nec petere, nec reddere potest debitum, etsi episcopus id jubeat.* — Quæritur V. Quid faciendum conjugibus, si contracto jam matrimonio cognoscunt, illud esse nulliter contractum ob versans inter illos impedimentum dirimens? Resp. I. Conjux, qui certo scit, matrimonium esse nullum, nec reddere, nec petere potest debitum conjugale: etiamsi impedimentum probare nequeat, et propterea forsitan a iudice ecclesiastico per censuras compellatur ad reddendum debitum. Unanimis et certa, textu expresso c. *Inquisitioni tuæ.*

24. *de Sentent. excommun.* ibi: « Debet potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnalem copulam, peccatum operari mortale. » Concordat c. *Litteras*, 13, de *Restit. spoliat.* ubi etiam ratio habetur: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; et quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. »

23. *Imo tenetur etiam contra mandatum iudicis discedere propria auctoritate, si absque periculo incontinentiæ, et peccati alteri cohabitare nequeat.* — Resp. II. Quamvis unus vel ambo conjuges certam notitiam impedimenti habentes, matrimonio jam contracto ab invicem propria auctoritate discedere nequeant, sed pro foro externo indigeant auctoritate iudicis juxta dicta n. 14. Nihilominus si impedimentum ita est constitutum, ut illud plene probare non possint, vel ob diffamationem sui non audeant: possunt, imo tenentur in foro conscientie ab invicem discedere, si absque periculo incontinentiæ ut frater et soror simul cohabitare nequeant. Neque tenentur in foro interno obedire episcopo, contrarium etiam sub censura præcipienti. Rursus communis per jura citata, præsertim c. *Litteras de Restit. spoliat.* ubi dicitur, quod, si in tali casu episcopus discedenti a conjuge sub censura imperat, ut redeat, ita discedens debeat negando thori consortium censuram humiliter tolerare. Ratio est, quæ in priori conclusionem; quia nempe contra propriam conscientiam agere nemo potest, arg. cit. c. *Litteras.*

24. *Limitatur in casu, quando Papa, vel episcopus dispensare potest, et solet.* — Limitatur tamen conclusio casu, quo tale inter conjuges versatur impedimentum, in quo Papa, vel episcopus potest, et solet dispensare; tunc enim quamvis matrimonium utpote nullum dissolvere valerent, si vellent,

tamen non tenerentur, sed possunt procurare dispensationem. Imo hanc procurare nonnunquam tenerentur; ut si bonum prolium ex simili matrimonio progenitarum, aut alia gravis causa id exigeret. Quibusnam autem in impedimentis Papa, vel episcopus dispensare possint, et solet: item quo modo dispensationes hujusmodi obtineri valeant, ac quo modo interea conjuges se habere, atque obtenta dispensatione matrimonium revalidare debeant, practice dicemus infra post titulum ultimum in appendice hujus IV, *Libri Decretalium.*

25. *De infidelium et hæreticorum matrimonii dissolutione. Remissive.* — De solutione matrimonii infidelium, et hæreticorum? vide supra n. 13. (ADNOTATIO XCVI.)

## § II.

DE DIVORTIO, SEU DISSOLUTIONE MATRIMONII, QUOAD THORUM ET COHABITATIONEM, ET CAUSIS EJUSDEM.

26. *Divortium quoad thorum, et cohabitationem quid?* — Quæritur I. Quid sit divortium quoad cohabitationem, et thorum? Quomodo item? et ob quas causas fieri valeat? Resp. I. Divortium quoad cohabitationem et thorum est legitima viri et uxoris separatio, manente vinculo matrimonii valide contracti. Ita in re communis, arg. *Tota hac rubrica*, et l. 101, § 1, ff. de *Verb. signif.* Dicitur legitima, id est juxta leges, et canones; secus enim divortium nec licitum, nec validum foret; cum matrimonium individuam vitæ societatem secum trahat. Dicitur manente vinculo matrimonii, ad differentiam divortii quoad vinculum, de quo § præced.

Hoc divortium fieri potest, vel quoad solum thorum, id est, quoad debitum conjugale alteri licite denegandum, vel quoad thorum, et cohabitationem simul, ita ut conjuges non tantum ab obligatione reddendi debitum, sed etiam habitandi in eadem domo, mensa, et lecto immunes fiant.

27. *Potest fieri vel mutuo consensu conjugum.* — Utrumque hoc divortium ulterius fieri potest vel mutuo consensu conjugum, vel etiam altero invito. Mutuo consensu fit, quando ambo intrant religionem, aut vir assumit statum clericalem, juxta dicta lib. III, tit. XXXII, de *Convers. conjug.* Item quando amore castitatis, aut ex alia ratione

se obligant, aut voluntarie mutuo consensu a cohabitatione thori ad tempus, aut in perpetuum se separant; quod fieri posse, constat tum ex c. *Charissimus de Convers. conjug.* Tum ex monito Apostoli I *Cor.* 7, ibi: « Ad tempus sese separent conjuges, ut vacent orationi. » Tum ex eo, quod nullo jure sit prohibitum, consequenter censeatur concessum, juxta illud Glossæ in c. *Inter corporalia*. §. *Non invenitur de transl. episcop. concessum intelligitur, quod expresso non prohibetur.* Verum de hoc divortio per mutuum consensum facto, hic principaliter non agitur, sed de illo, quod etiam alio invito fieri potest, de quo

28. *Vel etiam altero invito.* — Resp. II. Certum ac indubitatum est, quod etiam invito altero, certis ex causis fieri possit separatio seu divortium quoad thorum et cohabitationem. Patet conclusio ex tota præsenli rubrica, estque definita in concilio Tridentino, sess. 24, can. 8, ibi: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationes inter conjuges, quoad thorum seu cohabitationem ad certum, incertumque tempus fieri posse, decernit, anathema sit. »

29. *Assignantur plures causæ faciendi divortium quoad thorum.* — Resp. III. Causæ, ob quas divortium altero invito fieri potest, sunt quinque. Videlicet I. Alterius fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresin, vel gentilismum. II. Periculum salutis spiritualis, seu incitatio ad peccatum. III. Sævitia. IV. Morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis. V. Adulterium, ut patebit ex dicendis: dum de singulis singulas quæstiones proponemus.

30. *Solvitur instantia ex Scriptura.* — Interea objicies illud Matth. 19, ubi Christus dixit: « Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, etc. mœchatur: » ergo non plures, sed unica est causa faciendi divortium quoad thorum et cohabitationem. Resp. negando consequentiam. Ad textum Christi respondetur per illum textum solummodo probari, quod adulterium sit unica causa divortii perpetui, seu ob quam in perpetuum dimitti potest adulterans; nam ob reliquas causas non in perpetuum, sed ad tempus solummodo, quandiu nempe durat talis causa, periculum v. g. corporis et animæ, fieri potest divortium.

31. *Uno veram religionem descrente, potest alter propria auctoritate facere divortium, nec tenetur ad eum postea conversum redire, si...* —

Quæritur itaque specialiter II. An, et quomodo ob fornicationem spiritualem, seu lapsum in hæresin, aut gentilismum fieri possit divortium? Resp. I. Ob hanc causam conjux innocens etiam propria auctoritate facere potest divortium quoad thorum et cohabitationem, ita tamen, ut, si reus hæresis iterum convertatur, eum recipere, seu ad eum redire denuo teneatur innocens, nisi judicio, et auctoritate Ecclesiæ factum esset divortium; tunc enim redire ad conversum non amplius tenetur, sed religionem intrare potest, si vult. Communis ac certa, textu expresso c. *De illa*, 6, h. t. ibi: « De illa, quæ viro suo labente in hæresin, sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda; quæ etiamsi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. » Concordat c. *Quanto*, 7, eod. et c. fin. *de Convers. conjug.* ibi: « Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, per quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad religionem libere convolare. »

32. *Si religionem ingredi velit, alias secus.* — Resp. II. Quamvis uno conjugum in hæresin, aut infidelitatem lapsus, alter judicio Ecclesiæ propterea separatus, ad religionem transire, et ad conjugem postea conversum redire non amplius teneatur, per dicta n. præced. tamen si religionem aliquam ingredi non vult, conversum iterum recipere, et ei matrimonialiter cohabitare tenetur. Joan. Andreas, in c. *Quanto*, h. t. in fine; Ancharanus, in c. *De illa*, eod. n. 5, et ibi Barbosa, in fine; Pirhing, h. t. n. 31, cum Glossa communiter recepta in c. fin. *de Convers. conjug.* contra Sanchez, lib. X, disp. 15, n. 15 et 19, arg. c. *Quanto*, h. t. a sensu contrario. Ratio est, quia causa perpetui divortii assignata est solum adulterium a Christo Domino Matth. 19. Tum quia separatio, seu perpetuum divortium matrimonii ob periculum incontinentiæ, et alia scandala ac damna pro viribus vitandum ac restringendum videtur: Nec sine textu expresso adimendum est conjugi revertenti jus cohabitandi, quod jure divino ei competit. Nec obstat c. *De illa*, 6, h. t. ubi expresse et absolute disponitur, non esse cogendum, ut ad conversum redeat, qui ab ipso ob hæresin judicio Ecclesiæ separatus est. Resp. enim, illud capitulum debet con-

cordari cum c. fin. *de Convers. conjug.* et intelligendum, si religionem ingredi velit. Quod si alium sensum evincere quis contendat, respondetur cum Glossa in dictum c. *De illa*, h. t. istud capitulum esse quoad hoc correctum per sequens c. *Quanto*, eod.

33. *Qui ab altero conjugate ad peccatum grave, quodcumque tandem, incitatur, potest discedere ab illo.* — Quæritur III. An? et quomodo ob periculum animæ, ac incitationem ad peccatum fieri possit divortium quoad thorum et cohabitationem? Resp. Quando unus conjugum alterum ad unum, vel plura graviora crimina, v. g. ad sodomiam, ad furtum, ad maleficium, ad deserendam fidem, etc. ita incitat, ac inducit, ut sine periculo salutis spiritualis habitare cum eo non valeat, potest ab eo discedere etiam propria auctoritate. Sanchez, lib. X, disp. 17, n. 5; Abbas, in c. 2, h. t. n. 3, et ibi Barbosa, n. 4, et alii doctores communiter, Engel, h. t. n. 22, arg. cit. c. 2, h. t. et can. *Idololatria*, 5, caus. 28, q. 1, ibi: « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum. » Ratio est, quia jure divino cuius licitum est, animæ vitare periculum, juxta illud Salvatoris, Matth. 6: « Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. »

34. Nec obstat, quod cit. c. 2, h. t. propter solam incitationem ad deserendam veram religionem concedatur divortium, et ob alia crimina negari videatur: ibi: « Mulier pro furto, aut alio crimine viri sui, nisi fidei suæ religionem corrumpere velit, ab eo separari non debet. Verum si conjugem suum ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separare. » Resp. enim, hic solum allegari incitationem ad deserendam fidem, quia uno conjugate in hæresin aut gentilismum prolapsus, regulare ac ordinarium est, quod etiam alterum ad eandem incitet, et inducat; a conjugate autem fure, latrone, aut alias criminibus, inquinato, inquinatio et perversio alterius ad idem vitium raro contingit. Hinc merito disponit Papa ex eo solo, quod unus conjux furto, aut aliis criminibus sit subjectus, alter non possit discedere, intelligi, nisi eundem ad simile vitium incitet,

consequenter in illud prolabendi periculum patiatur.

35. *Etiam propria auctoritate quoad forum internum.* — Porro, sicut ob hæresin, sic etiam ob periculum in alia labendi crimina, ex incitatione unius conjugis proveniens, potest alter propria auctoritate discedere. Sanchez, lib. X, disp. 17, n. 10, arg. cit. can. *Idololatria*, 5, caus. 28, q. 1, ubi dicitur omnino posse, dictio enim omnino est præcisa, et importat, quod quid absque alia dispositione fieri queat; ut bene advertit Sanchez, lib. I, disp. 32, n. 6. Accedit ratio, quia, si conjux ex cohabitatione cum alio periculum animæ patiatur, jure divino potest discedere, consequenter non indiget auctoritate judicis, intellige pro foro interno.

36. *Secus quoad forum externum; nisi probare possit incitationem ad peccatum.* — Nam pro foro externo utique compellatur ad conjugem iterum redire, quantumvis gravibus criminibus hic inquinatus existat, arg. c. 2, h. t. et can. *Omnes accusationes*, 7, cau. 32, q. 7, nisi probet, se ab illo ad similia crimina incitari; quia hæc incitatio, cum etiam sit crimen, probari debet, per vulgaria; cum crimina non præsumantur, sed probari debeant. Verum etsi in foro externo etiam per censuras compellatur, in foro interno tamen obedire non tenetur; si revera periculum patiatur salutis a cohabitatione viri; prout in simili dictum est supra de casu, quo conjux ob occultum impedimentum discedens, per censuras cogitur redire ad conjugem, arg. c. *Inquisitioni tuæ, de Sentent. excom.* et c. *Litteras, de Restit. spoliat.* quæ confessariis bene sunt notanda.

37. *Ob viri sævitiam, ex qua imminet uxori periculum vitæ, aut gravis damni corporalis, potest uxor facere divortium.* — Quæritur IV. An? quando? et quomodo fieri possit divortium ob sævitiam unius? Resp. I. Potest fieri divortium ob viri sævitiam, si tanta est, ut uxor absque periculo vitæ, vel gravis damni corporalis viro cohabitare non valeat. Unanimis ac certa, claris juribus. c. *Ex transmissa*, 8, et c. *Litteras*, 13, *de Restitut. spoliat.* Ratio est, quia jus naturale, ac divinum cuius concedit facultatem adversus vim injustam, ex qua imminet periculum vitæ aut gravis damni corporalis, arg. l. *Ut vim*, 3, ff. *de Just. et Jur.* ergo.

38. *Non item ob levem verberationem: hæc enim viro licita est, saltem ex justa causa.* — Resp. II. Verbera seu verberatio levis non